



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 105. Pii V. Pontificis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. sexagesimum octavum unacum tribus  
A.C. 1572. Mensibus, & quindecim diebus, postquam Christi Ecclesiam sex annis, tribus mensibus, & viginti quatuor diebus rexerat.

§. CV.

*Pii V. Pontificis obitus.*

*Ciacon. p.*  
1006.

Quamvis hic Pontifex vitæ Sanctitate clarissimus esset, de ejus tamen obitu populus tripudiabat (\*), eoquod minus gratam haberet morum asperitatem, ejusque severitatem, quam exercebat per ipsam Inquisitionem, quod ipsum

---

(\*) Hujus gaudii testem allegat Continuator Ciaconium, qui tamen ait, hunc Papam *incredibili omnium mærore* esse defunctum; quid autem magis risu dignum, quam quod Continuator tam infælici mendacio hanc populi lætitiâ adscribat morum asperitati, & severitati, qua Sacræ Inquisitionis munus exercebat? cur autem Continuator non adnotavit, quisnam fuerit ille populus, sive Romanus, sive Gallicus, sive Germanus: attamen ipse probe noverat, quod omnes hi populi Papæ Sanctitatem, liberalitatem, ceterasque virtutes maximi habuerint: tandem Continuator in suæ calumniæ testem, & argumentum advocare cogebatur Selimum Turcarum Imperatorem: proh! pudor,

ipsum Tribunal summo studio protegebat: quinimo etiam Selimus Sultanus, qui Pium Papam velut maxime terribilem Ottomanici Imperii hostem habebat, ob ejus obitum Constantinopoli festiva publicæ lætitiæ signa per integros tres dies edi jussit: enimvero Pius V. Pontifex Turcarum potentiam deprime- re statuerat, omnesque pecunias, quas ceteris sumptibus subtraxerat, ad bellici apparatus expensas destina- bat: unde in scriniis ingens pecunia- rum summa reperiebatur, quam non- nulli ad decies centena aureorum mil- lia ascendisse referunt, præter alia quin- genta millia, ex Pontificia ditione in- tra tres Menses exigenda, ac tredecim aureorum millia in suo cubili reposita, quæ ipse in pauperes erogare destina- verat: insuper Apostolici ærarii Præfe- ctus adhucdum centies mille aureos ad communes necessitates paratos tene- bat: exinde vero manifeste patet, quod nunquam suis propinquis locupletandis intentus fuerit. Porro Corpus ejus in Ecclesia Divi Petri quatuor dies expo- situm est, ut populorum (\*) pietati sa-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1572.

Xx 3 tis-

(\*) Forte intra quatrimum populus jam- jam lætitiâ in luctum, & pietatem conver- tit, oblitus illius severitatis, atque morum austeritatis, quam Pius exercebat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1572.

tisfieret: evoluto autem hoc temporis spatio illud in Sacello Sancti Andree fuit repositum, usque dum ejus ossa ad Boscum Liguriæ urbem in ejus patriam transferri possent, ut ibidem in Fratrum Dominicanorum, quorum institutum olim amplexus erat, Ecclesia sepelirentur. Ceterum defuncto huic Pontifici Muretus celebris Orator sermone funebri parentabat.

Huic Sancto Pontifici id unice crimini dari potuit, quod illorum, quibus officiorum curam, ac regiminis sollicitudinem committebat, aviditatem reprimere nesciverit; ejus enim socordia illum eo inducebat, ut de maximi etiam momenti negotiis curam suis Ministris relinqueret, quorum tamen probitatem nequaquam sibi perspectam habebat: unde propter eandem incuriam querelas ad se contra ejusmodi Viros forte delatas excipere negligebat (\*).

§. CVI.

(\*) Si id unice Pontifici fuit crimini datum, populus propter severitatem illum injuste odio habuit: qua autem ratione de ejusmodi socordia redargui potuit, si, ut Continuator paulo ante §. CII. ipsemet factus est, Pius ad publica officia, & purpuram non alios evexit Viros, nisi doctrina, & probitate insignes.